



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118642

§. 30. Henrici III. Franciæ Regis inauguratio, atque connubium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

Sæcul. XVI. **A.C. 1575.** Postea hujus concordiae leges promulgabantur, quibus alia capita de constituendo Rotæ tribunali addita sunt: peracto igitur gravi hoc negotio, Legatisque secedentibus Respublica majori tranquillitate frui cæperat, atque ad omnes Principes, quorum operæ publicam ditionis suæ quietem in acceptis referebat, quosdam ablegabat Deputatos, qui pro utili eorum officio grates rependerent: hinc missus erat Lucas Fornarius ad Papam, qui plus ceteris ad restaurandam pacem conferebat, ad Cæsarem vero ablegabatur Nicolaus Spinola, & Joannes Baptista Lascarus ad Philippum II. qui cum eo pariter de revocatis pensionibus ageret, eoquod earum suppressione non modo Genuensium, sed etiam aliarum plurimum Italiae urbium, atque adeo sparsim in tota ferme Europa Institorum rationes adeo turbabantur, ut plura commercia penitus interirent.

§. XXX.

Henrici III. Franciæ Regis inauguratio, atque connubium.

Thuan. 1.60. *Mezeray* *abrege* *chron t. 5.* *pag. 223.* *Mem. pour* Postea Henricus III. Franciæ Rex novum Regnum, quod ei obtigerat, possidere unice intentus sub idem ferme tempus Lugduno Rhemos contendit, ubi etiam die decima tertia Februarii

bruarii inauguratus est: altera autem die nuptias celebrabat cum Aloysia Lotharingia Nicolai Lotharingii Mercuriani Ducis Valdemontii Comitis, & Margaritæ Egmontiæ primæ suæ conjugis Filia natu majori, cui Rex feria tertia die decima quinta ejusdem Mensis Februarii in Ecclesia Rhemensi sacro ritu copulata est.

Sæcul. XVI.
A. C. 1575.

*servir a l'hist.
de France
t. I. pag. 51.*

§. XXXI.

Insolita hujus Regis pietas.

Die vigesima Februarii Rex cum nova hac Regina ex præfata urbe discedens ad sancti Maclovii oppidum pervenit, ubi unacum suo Eleemosynario novemdialem devotionem instituebat, quippe totum vitæ suæ tempus inter externa pietatis exercitia, & delicias partiebatur, ferme nunquam Regni sui negotiis intentus: eadem igitur ratione currentem hunc annum impendebat, ac ipse solemnes publicationes dirigens sacras reliquias in regio Sacello asservatas circumferri jussit, manique sua grande rosarium tenens cunctos Aulicos unacum omnibus urbis Sodalitatibus interesse voluit, in Ecclesiis vero exigua oratoria construipræcepit, ad quæ ipsemet nullo ferme vestium ornatu conspicuus singulis diebus accesserat, ibidemque preces suas

*Journal de
Henrici III.
anno 1720.
tom. I. p. 7.
II. & 15.*